



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 12. Tibicinis & aliorum obsec̄na leuitas fulmine punita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](#)

locū insilient. Quæ omnia, in aliquot tremenda narrationis exemplis, ostendemus contigisse.

§. XII.

Tibicinis, & aliorum obscœna leuitas fulmine punita.

Primum recenset idem, qui supra laudatus est, Thomas Brabantinus, his verbis:

Marchia, in Flandriæ atq[ue] Brabantia districtu, villa populosissima sita est, in qua dedicatio celebrata multos, ad spectacula & ludos, traxerat. Inter quos, ut à Magistro Guilelmo bono & literato presbytero, & de eisdem partibus nato, percepimus, quidam tibicen erat, qui chorisantes iuuenes & puellas, saltationibus, & gesticulationibus suis, ad carmina obscœna & turpia, concitabat. Hinc, calo nubibus circa vesperas obscurato, quig[ue] ad propria redierunt, solo autem tibicine nondum lusibus satiato, per viam ad solita remeante, & canente tibia, & saltante, & posteriorum sonitibus turpiter insonante, duo pueri pastores, ubi tonitrua, & coruscationes imminere viderunt, ad dumeta fugerunt, & eis videntibus, in tibicinem fulmen incidit, & extinxit, & eius brachium amputauit. Nec mora, videbant pueri, quod duo nigerrimi canes, ex insperato, venerunt, & inter se pendulum extincti brachium deportarunt. Hac, post tonitrua, nun-

Thom.
Canti-
prat.lib.28
apū. cap.
67. §. 4.

14 Cap. III. Deus in fulminibus,
tiantibus pueris, amici venerunt, & cadaver
mortui ad propria detulerunt. Manè autē, di-
cente presbytero, quia in atrio fidelium sepelien-
dus non esset, quem in ludis turpibus, tam nota-
biliter tonitruum occidisset, responderunt amici:
et si extinctus sit tonitruo, tamen ad dedicationē
Ecclesiae peregrinus, cum alijs, occurrit. Permisit
ergo Presbyter, et si dolens, ut in atrio sit sepultus.
Et vide rectitudinem diuini iudicij. Manè fa-
cto, sepulchrum patens inuentum est, & loculus,
in quo iacuerat, vacuus & eiectus, cadaver ve-
rò, ut optimè credi potest, sicut eius brachium,
à Demonibus asportatum est. Nota ergo, lector,
quia tali vindictâ digni sunt, et si eos, parcente
Deo, tales semper casus non puniant, qui, turpi-
bus ludis & cantibus, sacra fidelium atria & Ec-
clesiam inhonorant. Hoc primum exemplum
docet, nubibus ac tempestatibus, non solùm
maiestatem DEI hominibus innotescere, si-
cut quondam contigit, cùm Moysi decalo-
gus, in monte Sinai, traderetur, quando ca-
perunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, &
nubes densissima operire mótem; &, quando,
auditâ voce diuinâ, turba dicebat, tonitruum
esse factū: sed etiā, coruscis his ignibus, iram
Numinis ostendit, peccatores, cum autho-
ritate, punientis. Ita minitans dixit: si acut-

Exod. 19.
16.

Ioan. 12.
29.

Deuter.

ro, ut fulgor, gladium meum, & arripuerit iu- 32. 41.
dicium manus mea, reddam vltionem hostibus
meis, & his, qui oderunt me, retribuam. Quod
in hostibus suis etiam Dauid expertus dixit:
Tonabit de cœlo Dominus: & excelsus dabit vo- 2. Reg.
cem suam. Misit sagittas, & dissipauit eos; ful- 22. 14.
gur, & consumpsit eos. Quod An. Christi Cæsarius
1222. in quodā Saxoniæ theatro, non sine libio.cap,
tragico luctu, spectatum est, vbi subitum 28.
fulmē homines adeò viginti, momento ab-
sumpsit; vt, leuissimo elemento, grauissimē
punirentur obscœnæ leuitatis amatores; so-
lus Sacerdos euasit, qui cæteris tamen, ob
scandalum, plus videbatur, peccauisse. Sed
sæpe Deus Sacerdotibus parcit propter ordinem:
sicut legitur de Aarone, quem non percussit le-
pra, sed sororem; cum tamē non legatur, sorore
minus peccâsse: vel forte, in eo, aliquid boni, Deus
præuidit, propter quod illi pepercit. Quod verò
aliquando, ob huiusmodi leuitates, Deus, Sacer-
dotes puniat, præsto est exemplum; ait idem au-
thor, cuius verbis ipsa sinceritate à fabula
vindicatis, vtile fuerit plura hîc apponere,

§. XIII.

Impurus & saltator sacerdos, fulmine ea-
stratus.

Est villa, in Episcopatu Treuirenſi, Elisatia Idem Au-

D 4 voca-